



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe  
Condita Ad Reductam**

**Gudenus, Johann Moritz von**

**Erfurti, 1675**

XXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**

at postquam omnia per tumultum everfa  
 jacerent, satellites mittit, qui spolianti-  
 um turbas dispellerent. Sed tuti latere  
 Clerici non poterant, nisi cum prius de-  
 cem millia florenorum Senatui dedissent,  
 insuper collectas, & onera civica subitu-  
 ros se promitterent, idque instigante Se-  
 natu his motibus actum est, ut Clerus ad  
 tributa cogereetur.

## XXV.

*Albertus in  
 jus vocat  
 Erfurtenses*

*Collegium  
 Saxonicum  
 fundatur.*

*Erfurtenses  
 novum opus  
 Electorinū  
 riant.*

*(a) Hæc & sequentia ex actis publicis in aperto sunt.*

Albertus † Urbis seditionibus offen-  
 ditur, frequentissimis citationibus in jus  
 vocat, & Cæsarem ad coërcendos rebel-  
 les adit. Hic aboleri vectigalia (a) citrà  
 Domini consensum indicta mensuram vi-  
 ni magnitudini pristina restitui, prote-  
 ctionem Saxoniam abjurari, subjectio-  
 nem jurejurando promitti sine clausula  
 mandat. Spoliati vero Clerici, quere-  
 lam in Imperiali judicio movent. Tile-  
 mannus † Brandis Hildesius, Ecclesie S.  
 Crucis in Urbe patriâ præpositus, Colle-  
 gio literario, quod Saxonicum dicitur,  
 hujatē Academiam auxit: Decanus, sti-  
 pendiari variis legibus studiis addicti,  
 commendata morum probitas, atque  
 id in familiæ & patriæ favorem disposuit  
 fundator, ut jus patronatus penes senio-  
 rem Brandisium, præsentandus ex ea-  
 dem cognatione, aut saltem Hildesius  
 esset. Secuta nova contentio: Curiam  
 suam Elector lapideâ mole magnificentius  
 eri-

erigere cœpit. Suspecta quævis malè agentibus : arcem Moguntinum in Urbe meditari, ex qua Dominatum exerceat, obstandum initiis, priusquam in munimentum exurgant, ac armatis intrà reconditis Civitas ad jussa cogatur, præterea libertatem Urbis obscurari, si in ea palatium, quasi residentiam Princeps habeat; ideo Senatus Officialibus Electoris, esse quæ colloquantur, nunciat, vellent conventui locum, & horam dicere. Illi non satis fidentes, ut loci religione tutiores essent, in templo B. M. Virginis Senatûs Deputatos se excepturos ajunt, ubi cum dictâ horâ convenissent, Urbicî mandata exponunt : *Senatum & cives novum opus, quod meditetur Elector, suspectum habere. Insciâ Rep. nec incipi debuisse, nec posse perfici, desisterent igitur à cœptis, nec simile post hac nisi consulto prius Senatu conarentur, item à Lapidinâ in urbis districtu confestim abstinerent.* Porro † Senatûi compertum, *Officiales Moguntiam scribere, quæ discordias excitent, ac Electoris animum à Civitate alienent, id impune post hac non futurum.* Ad hæc Moguntini † temeritatem esse ajunt, quod *Domino à subditis exstructio domus prohibeatur, an illi, cujus auspiciis mœnia quondam & turres surrexerint, nunc quatuor erigere parietes interdiceretur? Vanum timorem ab unâ, lapideâ licet, domo esse, debere potius urbem Electori gratias, quod eleganti ædificio exornetur, lapidinas Regalium jure sibi vindicare Moguntiam, cui audaci calumniâ negentur.* *Cæterum quod imputatas sibi relationes rerum, quæ*

*Officiales  
delationis  
arguunt.*

*Moguntino-  
rum respon-  
sio.*

*Archi-*

*ArchiEpiscopum offendant, attinet, nihil se scribere, nisi quæ vi juramenti debeant, quod autem inter ea non raro sint, quæ potius lædant, quam concilient Electorem, id non sibi sed facientibus imputandum, hæc Senatui renunciarent.* Ille responso

Moguntinorum magis offensus lapicidis, ac murariis pergere in operibus inhibet, ut ita saltem ædificium sisteretur. Hæc res postmodum longo processui materiam dedit, & facta nunciatio ab Imperiali Camera judicialiter cassata est. \* Magna rerum

\*MDXXIII.

*Daniæ Rex pellitur.*

*Subsidiarii Cæsaris circa Erfordiam subsistunt.*

*Erfurtenfibus suspecti.*

*Moguntini de super litteræ.*

in Daniâ mutatio, (a) dum ab eâ Sueci deficerent, † Christierno Regi, Cæsaris Caroli Sororio exilium procuravit. Exutus Regno, à Romano Imperio auxilia contra subditos petit. Cæsar quinque millia † armatorum in opem affinis ire jubet, hi pagos Erfurtenfium transeunt, & in iis aliquamdiu nova Cæsaris mandata expectant. Magnus † timor Urbem invasit, ipsosque Saxones suspicio, quasi res hæc Erfordiam spectaret; Danicū iter prætextus esset. Communicantur interim consilia, & ne quid hostiliter in Civitatem machinaretur Elector, Moguntiam scribitur. Ille † aliena non quidem à meritis, sed à suo proposito timeri respondet, istud non se negare, si receptorum nuper exulum incantationibus insana Civitas, in cœpta insolenti pervicacia pergat, sine desidiæ vitio dissimulare

Sedem

(a) Scleid. 4. *Hist. de statu Relig. & Reip. MS. Chronicon Erfurtense.*

Sedem ulterius haud posse. Interim Cæsareanorum discessus metum sustulit.

\* Rustici † per Germaniam novo Evangelio temulenti, passim in Magistratus & Dominos insurgunt: turbas doctrinæ suæ notas Lutherus † Wormatiæ dixerat, (a) igitur ne absque signis esset ejus Ecclesia, rebelles inhumanâ crudelitate, & seditionibus eam notant. Erfordiam † undecim millia Rusticorum (b) expagis ejusdem ingrediuntur, accepto prius licentiæ signo à Senatu: nam & patulæ relinquebantur venientibus armatis portæ, nec in alios, quàm in ipsius indignationi subjectos sævitum est. In Electoralem Curiam, ædes sacras, & Clericorum omnis furor effunditur, etiam consuetes hinc inde Divorum statuae profanatae sunt. Sanctus Martinus celebratus ille à prima Christianitate Patronus Urbis, in imagine rabiem sensit, nam ad humiliorem turrem interioris Brületensis portæ lapidi incisus, in illo furore capite, equus pedibus truncatus hodie dum insaniam testatur. Divisi in turmas Rustici, pars templa effringit, nihil ibi sanctum, dejiciuntur aræ, proculcatur ornatus, & vasa Divino cultui destinata furibus in prædam cedunt: Centum argenteos, aureosque calices ex una Basilica Marianâ auferunt. Divites Ecclesiarum suppellectiles,

XXVI.

\* MDXXV.

*Rusticorum motus.**Notæ Ecclesie Lutheranae.**Rustici urbem ingressi templa & Clericis spoliant.*

(a) Scleid. de statu Relig. & Reip. lib. 3.

(b) Anon. Chron. Erfurt. MS.